

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Verecundia I  
cum fonte primo

Frontem cordis impudencia  
atterit culpa frequens, atque quo  
crebrius ammittitur, eo de illa  
committentis animus minus  
uerecundatur.

Gregorius in omelia.

Cum domus Israel attrita fronte esse  
perhibetur, quid aliud sentiendum,  
quidue cogitandum est, nisi quod  
frontem cordis in impudencia  
atterit culpa frequens, ut quo  
crebrius committitur, eo de illa  
committentis animus minus  
uerecundetur?

Gregorius Magnus, *Homeliae in  
Hiezechielem prophetam*, 1, 10, 16  
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.151,  
ll.244-248).